

omnino non reperitur in graeca lingua. In vocabulo *εἰαμενή* etiamnunc participii vis et figura apparet, id quod insuper confirmatur Theocriti verbis: *χωρος ἥμενος. μελε-δώνη* L. M. II, 367 ad nomina in *δον* suffixum exeuntia refert, cuius generis sunt apud Homerum *κλεηδών, τηκεδών, κοτυληδών. ἀλοσύδνη*, ut supra diximus, antiquitus per *ιη* suffixum esse formatum videtur. Nominum, quae modo enumeravi, sunt denominativa *γαλήνη, σελήνη* et (si mecum consentis) *λίμνη, ποίμνη, πλήμνη*; reliqua primitiva et verbalia.

XIII. Substantiva in *ρη* aut *ρή* exeuntia. (30) Priore loco pono **barytona.** (23) *ἄγ-ρη* (*ἄγω*) 'die Treibjagd' G. C. 156 (zd. az-ra venatio) apud Homerum significat vocabulum et venationem per se et 'captam venationem' L. M. II, 217; *αἶθ-ρη* (*αἶθω, αἰθήρ, αἰθέρ-ος*); *ἄκ-ρη* (*ἄκ-ρος*); *ἄμ-ρη* Φ 259 L. M. II, 211 *ἄμ-άρη*. Lobeckius Path. Prol. 255 confert *καμάρη*; *αὔ-ρη* (*ἄψ-ρημι, ἄήρ, ἄέρος*) ε 469; *γάσ-ρη* L. M. II, 361 sic distinguit syllabas: *γάσ-τρη*, quippe quum hoc vocabulum inter nomina in tra suffixum exeuntia referendum esse censeat. Equidem *γάσ-τρη* ex substantivo *γαστήρ* derivatum puto; *ἔδ-ρη* (*ἔδ, ἔζομαι*); *ἔσχ-ρη* L. M. II, 211 ad primitiva in ara suffixum exeuntia II, 578 ad denominativa in *ρα* exeuntia refert; *ἔτ-άρη* Δ 441, *ἑταίρη* = *ἑταίρη* cf. *ἑταῖρος*. ea vox videtur eiusdem radicis esse, cuius est *ἔτης* G. C.; *κλήθ-ρη* alnus, L. M. nominibus in tra suffixum exeuntibus adnumerat, ut θ locum teneat consonae τ, quod mihi non persuasit, imprimis propter huius vocabuli notionem: qua de causa malo θ literam attribuere radici (*κλήθ-ρη*); *λαπ-άρη*, *λαπ-άρη* (ilia). Fortasse hoc vocabulum ex eadem radice ortum est, ex qua nostrum 'schlaff' (= slaf); *λαύ-ρη* in medio relinquo, an *λαύ-ρη* referendum sit ad *λα-ας* (= *λαῖ-ας*) ut significet *λαύ-ρη* sc. ὁδός viam lapidibus munitam 'Steinweg'; *μίτ-ρη* (cf. ὁ μίτος); *ὀβριμο-πάτρη* (*πατήρ*) L. M. II, 361; *πάτρη* patria (*πατήρ*) L. M. II, 361; *πέτ-ρη*; *πρώ-ρη* μ 230 (*πρό*); *πυρ-άγ-ρη* cf. *ἄγ-ρη* (der Feuerfang, forpex); *τέφ-ρη* (scr. tap = tepēre), cineres tepidi; *φρήτρη* derivatum est a radice *φρητερ* (frater) elisa vocali ε, quemadmodum *πάτρη* a radice *πατερ*. In explicandis eius generis nominibus L. M. sibi ipse repugnat cf. II, 337. 361. Legitur hoc vocabulum apud Homerum duobus locis B 362. 363; *χαράδ-ρη* (*χαράσσω, ξω*); *χή-ρη* (rad. scr. hā) cf. *χῆ-ρος* orbus; *χώρη* (rad. *χα, χαν*. hiare), regiones planae et apertae dicuntur hiare.

Altero loco pono **oxytona.** (7) *ἄλε-ωρή* (*ἄλέσσομαι*) *ωρή* suffixum idem esse atque *ωλή* et pro hoc suffixo poni propter 'euphoniā' observavit et L. M. II, 212 et Buttm. § 119. 29. not. 17; *ἔκϋρή* cf. *ἔκϋρός* (scr. evacrūs socrus. goth. svaihrō) cf. L. M. II, 215. 218; *ἔλπ-ωρή* (rad. *ελπ. ἔολπα*) *ωρή* = *ωλή*; *θαλπ-ωρή* (*θάλλω*) *ωρή* = *ωλή*; *πλεν-ρή*. Haud scio, an ea vox coniungi possit cum verbo *πνέω*, quemadmodum etiam *πλεύ-μων* (= *πνεύ-μων*) ex eadem radice ductum est. Latera moventur, sive spiritum trahis sive emittis; accedit quod in latina lingua latera fere eodem sensu usurpantur, quo nostrum 'Lunge', cf. Cic. Acc. IV, 30. 67: quae vox, quae latera, quae vires. Plin. ep. II, 11. 15 voci laterique consulere; *τραφ-ερή* (*τρέφ-ω*) *τραφερή* sc. γῆ: (Festland) terra continens, *τρέφειν* enim congelandi quoque notionem includit, ut terra continens dicatur veluti congelata, compacta: hoc nomen adiectivum, quum apud Homerum et Ξ 308 et υ 98, quibus locis unis invenitur, substantivi locum teneat, substantivis adnumerare non dubitavi; *ύγ-ρή* (cf. adj. *ύγ-ρός*) eadem de causa, qua antecedens vocabulum inter substantiva refero, quamquam proprie est adiectivum.

Nomina, quae supra enumeravi, L. M. laudat inter nomina in ara, âra, ra exeuntia II, 211. 212. 217. Prorsus a L. Meyeri et a vulgari opinione recedere malo in his nominibus explicandis: *αἶθρη, αὔρη, γάσ-τρη, πάτρη, ὀβριμοπάτρη, φρήτρη*, quae omnia denominativa habeo et derivata a nominibus *αἰθήρ (αἰθέρ), ἄήρ (ἄερ), γαστήρ (γαστερ), πατήρ (πατερ), φρητήρ (φρητερ)*, quamquam huius vocabuli hae tantummodo formae exstant *φρατήρ, ἦρος, φράτωρ, ορος*